

pietatis instruerent oves suas. Imprimis e sublimi devolare visa est columba in caput S. Fabiani, designans eum ordinandum papam, apud Baron. a. 238. rursus in caput S. Gregorii papæ I. cum quid de sacris litteris scribere vellet, uti vidit Petrus diaconus, Baron. an. 604. in humeros Gregorii VII. celebrantis, Baron. an. 1084. duæ visæ ad caput Eugenii papæ itidem celebrantis missam, Baron. an. 1145. in ordinatione D. Chrysostomi ad presbyteratum, devolans alba columba stetit supra caput ejus, Baron. an. 386. « Quomodo enim inter chirurgos, inquit Hector Pintus, in Isa. c. XLII. ille est laudabilior, qui lenius tangit vulnera, quam qui aspere manus imponit; sic ille præsul est prudentior censendus, qui potius lenitate et moderatione, quam nimia severitate animi vulneribus medetur. Et ut chirurgus, ut in eodem simili verser, secturus membra corrupta et labefactata, non impletur ira, quin potius tunc majorem tranquillitatem ostendit, ne perturbatio impediatur artem: sic præsul in reprehensionibus et punitionibus debet magna uti temperantia, ne ira turbatus modum transeat. »

VI. Columba in cavernis petra nidificat, quod pertinet ad donum fortitudinis; quia sancti in plagis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, id est, suum refugium et spem. Dono ergo fortitudinis præditus est, quisquis præsidio vulnerum Christi munitus est, ex sententia D. Thom. De hoc præsidio loquitur sponsus, Cant. II. Veni, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae, q. d. columba mea, si fortis et inexpugnabilis esse velis, veni et abscondere in vulneribus meis, et imprimis in meo latere lancea perfosso, costis quasi maceria cincto. Illud arx munitissima est: ostium ejus vulnus est, adeo angustum ut solis columbis ingredi, hostibus non liceat. Eodem allusit Isaias, c. II. dicens: *Ingrederi in petram et abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini.* Ad litteram per sarcasmum alloquitur Hebræorum populum exterminandum a Chaldæis primo; deinde a Romanis: monet, eis fugiendum fore in cavernas et speluncas, frustra tamen; siquidem ibi etiam deprehendendi essent. Testatur Josephus se in puteo et spelunca tempore excidii Jerosolymitani latuisse, inde tamen protractum et Vespasiano oblatum esse, l. III. de bello, c. XIV. item Simonem et alios, l. VII. c. XVI. Verum mystico sensu seria locutio est, suadens ut imminente gravi tentatione fugiamus ad devotam vulnerum Christi meditationem. Quid enim fossa humus, nisi caro Christi, de qua Psal. XXI. dicitur: *Foderunt manus meas et pedes meos? Ibi se habitare, ibi latere nuntiavit*

conjugi suæ comes Elzearius, apud Sur. tom. V. c. XXX. Præter hoc habet columba et istud, ut non discedat a suo columbari et hero, tametsi is singulis mensibus, quoties illa prolificat, tollat ei pullos, cum tamen aves aliæ sublatis sibi pullis nidos priores deserant, et alios sibi quærant. Hoc pacto S. Job, tametsi concedente Deo mirum in modum afflictus fuit, et inter alias calamitates non tantum pecora, sed et filios suos omnes simul perdidit, non tamen a Deo discessit, aut alio migravit blasphemando, vel consulendo divinatores, aut alienorum deorum opem implorando: sed perstitit in amore et servitio Dei sui, eumque inter verbera etiam benedicere non dubitavit.

VII. « Columba gemitum pro cantu habet, quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis. Gemunt primo, ob præterita peccata, timentes, ne forte pro eis nondum omnino satisfecerint, uti S. Petrus ad omnem galli cantum deflexus peccatum suum: S. Augustinus, qui in extrema, qua defunctus est, ægitudine continuo legebat psalmos pœnitentiales: *Jugiter et ubertim flens*, ut ait Possidonius, in ejus vita: S. Paula, de qua scribit S. Hieronymus, in ejus epitaph. « Ita levia peccata plangebant, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, et eos servaret evangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et cerussa, et stibio sæpe depinxi: affligendum est corpus, quod multis vacabat deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia et serica pretiosissima, asperitate cilicii compensanda: quæ viro et sæculo placui, nunc Christo placere desidero. » Gemunt secundo ob pericula incidendi in nova peccata, timentes perdere gratiam Dei et cœlestem hæreditatem. Hunc timorem, castum scilicet et filialem, qui timet offendere Deum, appellat Isaias thesaurum: *Divitiæ salutis sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus*, c. XXXIII. quia in eo tamquam in arcu divitiarum virtutum servantur, inquit Hector Pintus, ib. « Et sicut ii, qui consolatus officia vel thesaurum regium adepti sunt, perpetuam gerunt curam, ne quoquam pacto regem offendant: sic et illi, quibus aliquod opus spirituale creditum est, semper sunt solliciti, » inquit Macarius senior S. Antonii discipulus, ad monachos, hom. XIX. Quocirca S. Hieronymus serio monet Eustochium supradictæ S. Paulæ sanctam filiam, scribens ad eam: *Nolo tibi superbiam venire de proposito, sed timorem: onusta incedis auro: latro tibi vitandus est.* Hinc bene etiam

senex Ille Simeon dicitur *vir justus et timoratus*. Non enim erat vacuus coram latrone viator. Thesaurum magnum gerebat in vase fictili, justitiam, et quomodo non timeret? De hoc denique timore ait Sapiens, Prov. XXVIII. *Beatus homo, qui semper est pavidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum.* Vult dicere: Beatus est, qui timet offendere Deum: qui vero velut equus duri et præfracti oris est, nec freno timoris retinetur a cursu, corruet in præcipitium. Adstipulatur Sapiens Ecclesiasticus, cap. XXV. *Beatus homo, inquit, cui donatum est habere timorem Dei, qui tenet illum, cui assimilabitur?*

Ergo auditores, præparemus corda nostra, ut cœlestis hæc columba devolare super nos dignetur suisque nos replere donis. De S. Arethio Lemovicensi scribit S. Gregorius Turonensis, l. X. hist. Franc. c. XXIX. quod cum ex puero aulico S. Nicetium Trevirensem episcopum secutus et ab eo sacris imbutus disciplinis esset, Spiritus sancti gratia per visibilem columbæ speciem repletus, sanctitate et miraculis clarus effluerit, tandemque devicto diabolo, comitantibus angelis gloriosus in cœlum ascenderit, anno Dom. 595. Quod et nobis omnibus precor.

CONCIO IV.

EADEM SPIRITUS SANCTI DONA ALITER EXPONUNTUR.

I. Donum sapientiæ, doctrice aquila. — II. Donum scientiæ, doctrice noctua. — III. Donum intellectus, doctrice haliaeto. — IV. Donum consilii, doctore cyeno. — V. Donum fortitudinis, doctore accipitre. — VI. Donum pietatis, doctrice alauda. — VII. Donum timoris, magistra coturnice.

THEMA.

Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joann. III.

Duæ potissimum facultates animæ per lapsum primi parentis vulneratæ sunt, intellectus et voluntas. Intellectus cæcitatem, voluntas debilitatem contraxit, ita ut sine speciali Dei dono nihil magni et præclari, quod ad vitam æternam spectet, per se efficere queant. Quapropter benignissimus Deus post Christi missionem succurrere his miseris statuit per missionem Spiritus sancti, quem idcirco in specie ignis demisit in discipulos Christi totamque Ecclesiam suam; quia ut ignis partim illuminat, partim etiam accendit et calore suo fovet: ita Spiritus sanctus mediantibus donis suis partim illustrat intellectum, ut videre queat, quæ ad consequendam beatitudinem homini sunt necessaria et salutaria; partim accendit voluntatem, ut eadem illa aggrediatur et perficiat: siquidem e donis illis quædam pertinent ad perfi-

ciendum et roborandum intellectum, uti donum sapientiæ, scientiæ, intellectus, consilii: quædam ad voluntatem, velut donum fortitudinis, pietatis, timoris. His enim septem donis Spiritus sanctus retrahit nos a malo et juvat ad tentationes ac vitia debellanda, necnon ad fortia et heroica opera patranda. Nam ut S. Gregorius, l. II. moral. cap. XXVI. explicat, adversus stultitiam armat nos Spiritus sanctus dono sapientiæ, contra ruditatem dono intellectus, contra præcipitationem dono consilii, contra ignorantiam dono scientiæ, contra pusillanimitatem dono fortitudinis, contra cordis duritiam dono pietatis, contra elationem dono timoris. Septem ista dona, spiritualia sunt arma tam offensiva, quam defensiva, adversus præcipuas tentationum radices, quæ vitam spiritualem oppugnant. Ea igitur lustremus. Ceterum quia Spiritus sanctus non solum in specie ignis heri, sed etiam in specie alitis, columbæ nimirum, alibi descendisse in terram visus est, idcirco nunc missa ignis specie, videamus septem alites, qui dona illa declarant.

I. Laboramus plerique stultitia in cognoscendo summo bono et ultimo fine, Deo rebusque ad eum ordinandis. Communiter enim de rebus nostris judicamus secundum rationes humanas, mundi opinionem, et hominum judicia, ac si his conformentur actiones nostræ, rem bene gestam arbitramur: ad Deum, divinam et æternam regulam non attendimus, utrum ipsi placeant ipsiusque voluntati sint conformes. Atque hæc mundi sapientiæ, quæ secundum terrena et corporalia judicat, *terrena et animalis sapientia* vocatur, ut docet D. Thomas, II. II. q. XLV. art. 1. estque *stultitia coram Deo*, teste apostolo I. Cor. III. Veram sapientiam, quæ est donum Spiritus sancti aquila nos docet, quæ solem contemplatur et pullos suos in altum evehit, et suspensos ungue examinat ad contuitum solis: et siquidem in eum intendere irretitis oculis queant, pro genuinis habet; sin minus, ut adulterinos abjeicit, Plin. l. X. c. III. Hæc itaque sapientia contemplatur divina et æterna, et secundum illa de rebus omnibus judicat ex fide et Scripturis sacris, ad justitiæ solem omnia sua examinat. Mundi sapientia per philosophos docuit, ex nihilo nihil fieri: Deum loco, tempore, corpore claudi et mori non posse: accidens non posse esse sine subjecto: corpus non posse esse in puncto, nec duo corpora in eodem loco. At Dei sapientia hæc philosophorum axiomata ex ratione humana desumpta falsa esse ostendit ex fide et Scripturis in creatione mundi, in verbi incarnatione, in s. eucharistia. Mundi sapientias victorias et bellorum eventus

secundum vires humanas metitur, uti fecit ante aliquot annos quidam hæreticorum dux multis victoriis clarus, qui cum quidam princeps catholicus ab eo captus in bello divinam providentiam commemoraret, ille subridens, manu capulo ensis sui admota respondit: *Hac providentia nitendum*, ut refert Leon. Lessius, l. 1. de providentia. At vera sapientia Dei potius providentiæ eventus istos adscribit ex divina revelatione, 1. Macch. III. *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est*: et II. Macch. XV. *Dominus non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam*. Mundi sapientia stultissimum sequitur struthio-camelum, qui cum sit altior equite, totum se latere putat, cum collum inter frutices occultat, Pier. l. XXV. Dummodo enim quis scelorum suorum conscios homines non videat, jam se totum latere censet, nec Deum timet, nec homines. At vera sapientia ad Dei oculos attendit, etiamsi ab hominibus nequaquam videatur, juxta id Ecclesiastici, c. XXIII. *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, etc. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius*. Mundi sapientia jubet inimicos odisse, et malum pro malo reddere; sed Dei sapientia docet odio quidem habendum peccatum, sed non peccatorem; offensam, sed non offensentem: hunc beneficiis demulcendum et ad frugem atque amorem reducendum, juxta id Salvatoris: *Diligite inimicos vestros, etc.* quia hoc Dei gloriam amplificat et salutem parit offensori, meritum gloriæ offenso. Denique, mundus beatos prædicat divites, elatos, dominantes, in deliciis viventes; at vero Spiritus sanctus ejusque sapientia beatos prædicat pauperes, humiles, obedientes, esurientes, afflictos. Effulsit hoc sapientiæ dono inter alios S. Antonius, qui duobus philosophis gentilibus ad se venientibus ita fere locutus est: *Cur vos sapientes tanto itinere ad hominem stultum venistis? Illis respondentibus, se ad sapientem non stultum venisse respondit: Si ad stultum venistis, superflua est labor vester. Si autem putatis me sapientem esse bonum est invitemini quod probatis*, Athan. in vita. Enituit hæc sapientia et in sancta illa nondum decenni puella Catharina Sennensi, quæ audiens matrem aliquando propter se aliis maledixisse, seorsum eam ducens, monuit dicens: « Domina mater, si me quandoque videris tua jussa negligentem, cædas me virgis quantum visum erit, id est dignum et justum est: sed quæso ne propter meas culpas aliis maledicas, nam neque tuam id decet gravitatem, et me summo mœrore afficis, » Raymundus, in vita.

II. Laboramus ignorantia, sive ex aliorum dolis, sive ex oblivione, sive ex inadvertentia,

ut minus cognoscamus etiam res temporales et creatas ad salutem conducibiles et media requisita. At licet ea videamus, nescimus tamen modum illis bene utendi. Desimus iudicio circa credenda et agenda, negligimus rei gerendæ bonas occasiones, quarum prætermissionem risit aliquando in Pompeio subsistente Cæsar fugiens, dixitque: *Hodie penes hostes erat victoria; at non habent duces, qui victoria noverit uti*. Contra has ergo tenebras succurrit nobis Spiritus sanctus dono scientiæ quæ versatur circa res creatas, et docet nos ferre iudicium de rebus agendis et credendis, modum recte utendi mediis ad salutem, aperit fraudes et deceptiones mundi, carnis, dæmonis, suggerens veritatem ad vincendum illas. Scientiæ hujus typum noctua suppeditat, quæ apud gentes Minervæ disciplinarum deæ sacra habebatur propter oculos cæcos, quibus etiam in tenebris perspicit, quæ vulgus avium non videt, ut refert Pierius, lib. XX. Donum sapientiæ est quasi luminare majus, quæ ostendit nobis res, quæ circa Deum versantur: scientia luminare minus, quæ in his mundi tenebris ostendit res creatas et modum illis utendi. Examinat imprimis media et actiones, an pro animæ salute sint, an virtutis laudem contineant, an ad Deum ducant. De S. Antonio scribit Palladius, in his. Lausiaca, quando eum absentem aliqui quæsi vissent, e Macario rogare consuevisse, an ii ex Ægypto, an vero Jerusalem venissent, hoc est, an venissent tractaturi res sæculares tantum, an res spirituales et cælestes. Scientia ista de qua loquimur, indicium fert de rebus, an ex Ægypto vel Jerusalem veniant, et rursum num in Ægyptum an Jerusalem tendant. Novit deinde bene uti rebus etiam adversis, quo modo: « Non ex ebore tantum, (inquit Seneca, ep. LXXXV.) Phidias sciebat facere simulacra; faciebat ex aere: si marmor illi, si adhuc viliores materiam obtulisses, fecisset quale ex illa fieri optimum posset: » et mox: « Leonibus magister manum insertat, osculatur: tigrim suus custos: elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua et ambulare per funem: sic sapiens est artifex do mandati mala. Dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium et cætera horrenda, cum ad hunc perveniant, mansueta sunt. » Speciale scientiæ donum fuit illud, quo divinitus imbuti fuerunt S. Antonius, S. Ambrosius, D. Thomas, S. Ephrem, Albertus M. ut videre est in catechismo, hist. Dauroltii, c. VII. tit. XLIV.

III. Laboramus ruditate et inhabilitate ad penetrandum res obscuras scitu necessarias, Scripturas præsertim ss. et fidei veritates ac divinorum mysteriorum, rursum ad juvandas pœnitentium conscientias, ad dijudicandas alie-

rum causas, dirimendas lites et controversias, tum fidei tum aliarum rerum ad fidem et mores christianos spectantium. Contra hanc ruditatem succurrit nobis Spiritus sanctus dono intellectus. Qui hoc dono præditi sunt, similes sunt halæto, aquilæ marinæ, quæ, ut scribit Plinius, l. X. cap. III. *Clarissima oculorum acie, librans ex alto sese, visoque in mari pisce, præceps in eum ruit, et discussis pectore aquis rapit*. Quod idem apud nos faciunt aves illæ, quas idcirco piscatores vulgo appellamus. Ergo qui donum intellectus habet, clarissimam hanc oculorum aciem habet, et ea quasi ex alto cernit atque intelligentiæ dono discutit Scripturarum difficultates et nodos, sensus litterales et mysticos, figuras, tropos, indeque saluberrima rapit documenta; discutit etiam fidei controversias, tollit conscientiarum scrupulos et laqueos, quandoque etiam intelligit (per speciale donum) cogitationes hominum, dijudicat causas litigantium intricatas atque insolubiles. Claruit hoc dono S. Hieronymus, ad quem velut ad oraculum ex omnibus orbis partibus divinæ Scripturæ quæstiones explicandæ referebantur: S. Ignatius Loyola, qui adhuc litterarum propemodum ignarus repente ante templi aditum in cognitionem SS. Trinitatis raptus, tanta similitudine et exemplorum varietate de ea disputare cepit, ut omnes obstupescerent; quin et librum de Trinitate conscribere, quoquo potuit stylo, Maffei, l. 1. vitæ, cap. VII. S. Joannes Colonia in Armenia episcopus, postea solitarius, qui duobus, uni catholico, alteri hæretico, prius nunquam visis, bene precari cum rogaretur a catholico: *Tibi quidem, inquit, ut pio et fidei salutem impertior, huic autem nequaquam, nisi a prava Severi hæresi desistat*, Rader. in virid. ss. Hic accedat S. Philippus Neri qui occultas hominum cogitationes sæpissime perspexit et confitentibus annuntiavit. Obscenorum etiam hominum tetrum odorem naribus persensit, ita ut vultum avertere manusque aut linteum naribus admovere deberet, ut in ejus vita scribit Gallonius, anno Christi 1555. et alibi. Denique, hoc donum petiit David quoad suam personam, Ps. CXVIII. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo*: petiit filius ejus Salomon, quoad regimen populi sui, III. Reg. III. *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. Quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?* q. d. sine dono Spiritus sancti. Id ergo mox impetravit ejusque specimen edidit in duarum meretricum contentione de eodem filio. Cui iudicio aliud simillimum refert de Alphonso, 1. Neap. rege, Paormitanus, lib. II. de rebus Alphonso. Nam

adhuc pene puero cum in Aragonia, utriusque Sicilia regna suscipere, accidit, ut ejusdam ancilla ex domino pareret, et ad libertatem ex Hispaniensi lege provocaret. Dominus, ne matre cum filio privaretur, negabat ex se natum, deerant in re clam patrari solita probationes, quid ageret? Belle se expedivit, jubet sub hasta partum vendi, vincitur dominus licitatione, ergone (secum) filius meus in servitutem me vivo? Quin potius fateor, quod res est, et ecce paterni animi erumpunt invito lacrymæ. Subsequitur lingua confessionem oculorum. Sic patri filium, matri debitam rex libertatem asseruit. Enituit hoc donum etiam in Daniele, qui arguto consilio senes illos improbos deprehendit reos, Dan. XIII. Quare hoc donum a Deo precibus postulare deberent imprimis doctores, confessarii, magistratus, iudices. Eo sane etiam præditus fuit Carolus M. coram quo pater et filius homicidii rei agebantur, sed factum uterque negabat, nec tormentis ullis ad confessionem criminis poterant perducere. Itaque condemnat imperator utrumque ad suspendium. Tum pater victus amore filii, se reum, filium vero sceleris expertem confitetur Andr. Barbar. in c. præsentis de probatione.

IV. Laboramus communiter etiam præcipitantia in actionibus nostris, nec mature prius expendimus, quid fieri expediat; inde in graves sæpe errores labimur, uti patet in duce Josue, qui Gabaonitas nimium credulus, non consulto prius Domino in fœdus amicitiae recepit, Jos. IX. in sacerdotibus illis Hebræorum, qui sine consilio exierunt, ad bellum, et occiderunt, 1. Macch. V. in Theodosio seniore imperatore, qui præcipitata in Thessalonicenses sententia plurimos innocentes occidi inter nocentes fecit. Succurrit ergo nobis Spiritus sanctus dono consilii, quo instruit nos priusquam magnum et periculosum aliquid aggrediamur, definiamus, mandemus, loquamur. Typum hujus doni volumus? Cynus illum exhibet, qui collum habet longum et obliquum, adeoque per ambages tarde devolvit cibum in stomachum; quod est virorum consilio præstantium, qui prius quam loquantur aut decernant aliquid, præmeditantur bis vel ter, quid loquantur et agant, quando, ubi, apud quos, quo eventu: an sit honestum, verum, bonum, licitum, nemini noxium, etc. Unde pictores virum consideratum ac prudentem cum collo longo et obliquo pingunt. Ergo donum istud suggerit consilium sanum et salutare ad evitandos dæmonis laqueos; uti Josepho illi ab impura domina tento, ut relicto in manibus ejus pallio fugeret, Gen. XXXIX. Quod etiam referenda (tametsi non facile imitanda) sanctorum illarum mulierum exempla, quæ necem

sibi ipsi intulere, ne procorum illusionibus paterent, veluti Sophronia nobilis matrona Romana, quæ cum a Maxentii satellitibus abducenda ad stuprum esset, consentiente etiam præ metu marito præfecturam agente; exiguo temporis spatio postulato, quo se decenter ornaret, in cubiculum suum ingressa, gladio sibi transfixit pectus: Pelagia virgo Antiochena, quæ cum matre et sororibus eadem illa persecutione Maxentii cum leonibus illudendæ traditæ essent, Pelagia e sublimi domus tecto præcipitem se dedit, mater et sorores aquis se immerserunt: Euphrasia virgo Nicomediensis, quæ in lupanar ducta et a juvene attentata persuasit se habere pharmacum contra omnes ferri et telorum ictus, idque in ipsa comprobandum; quare cera oleo liquefacta collum suum inungens, jussit id in se juvenem experiri: qui nimium credulus uno ictu amputavit virgini caput. Quæ omnia refert Baron. anno 309. Quod ergo sapientissimi philosophi tradidere, hoc intus docet hominem justum Spiritus sancti donum. Bias dixit: *Considera, et postea rem aggredere*: item: *Aggredere tardus, agressus age constans*: Periander dixit: *Ea facito, quorum te non poenitat*: rursus: *Nihil aggredere, nisi quod vides te posse perficere*. Præterea suadet, ut interrogemus alios quid agendum nobis sit, uti S. Francisco deliberanti num vitæ prorsus solitaria, an saluti etiam proximi curandæ addicere se deberet, apud Daurolt. in catech. hist. cap. VII. X. XLVI. ex II. Suadet ut audiamus vel legamus Dei verbum, quemadmodum D. Augustino per vocem illam: *Tolle, lege*. Docet parce et considerate loqui: nihil in ira statuere, sed recitare prius alphabetum, vel quid simile.

V. Laboramus imbecillitate in rebus arduis gerendis et adversis tolerandis, præsertim quando ita nos premunt, ut nisi graviter delinquere velimus, vitam, honorem, fortunam amittere, vel grave aliud subire incommodum debeamus. Tunc ergo subvenit nobis Spiritus sanctus dono fortitudinis, suo impulsu corroborans cor nostrum ut quodvis damnum temporale pati velimus, ne æternum incurramus. Hoc donum indicat accipiter: *Avis animo plus armata quam unguibus, virtutem majorem in minore corpore gestans*, inquit Isidorus, l. XII. c. VII. Is tam magnanimus est, ut aves etiam grandiores se aggrediatur ac dejiciat; cum aquila ipsa, avium rege, bellum gerere audeat, teste Plinio, l. X. c. VIII. volatus celeritate omnes vincit, tam humipeta, quam sublimipeta, ut scribit Pierius, l. XXI. Ergo hoc dono præditi animose aggrediuntur omne periculum etiam viribus impares, non metuunt minas principum, tam in prosperis quam in adversis, sursum et deorsum recta

sine declinatione volant, quemadmodum et cipitres. Tales fuere imprimis sancti martyres. Et quis non adscribat Spiritus sancti robori triumphum puerorum Justi et Pastoris, qui Compluti, sub persecutione Diocletiani et Maximiani, audito Dariani præfecti adventu, relictis tabellis, quibus in litteris addiscendis detinebantur, ambo pariter mira alacritate se martyrio obtulerunt et diris cruciatibus exagitati, gladio demum perempti sunt? Baron. anno 303. Nec mirum virtus Eulaliæ, quæ duodecim annos nata simulacra confregit, et quæ ad sacrificandum appetita erant pedibus proculcavit, unde comprehensa Emeritæ in equuleum suspensa et exungulata, faculis denique adusta in præfecti oculos despuat, cujus laudes canit Prudentius, hymno III. apud Baron. ib. Unde nisi a Spiritus sancti impulsu puer ille quinquennis, matrem christianam propter fidem incendio traditam insequens, cum Christum balbutiendo confiteretur, retineri non potuit, quin ad matrem in rogam insiliret? Baron. anno 523. Sed audiamus etiam alios hujusmodi accipitres. Cæcilia præter voluntatem Valeriano desponsata, et ita in sponsi thalamum deducta fortiter pro sua virginitate pugnavit, allatisque argumentis sponsum non solum a vi inferenda cohibuit, verum etiam ad Christum, unaque ejus fratrem Tiburtium convertit, Sur. in vita. Alphonsus Aragonum rex naufragos auxilium implorantes cum vidisset, suos cohortatus opem ut ferrent, cum id facere timerent ob exortam tempestatem, ipse navem solvit inquit: *Satius est una cum sociis viris fortissimis occumbere, quam ipsos videre ante oculos extrema pati*, Panorm. l. II. de gestis ejus. Carolus V. imperator juxta Ingolstadtium crebris jaculis ab hoste impetitus: *Confidite*, inquit, *nihil unquam imperator tormenti ictu perit*, I. Lips. in monit. pol. l. 1. c. VII. Idem in Hispaniam profecturus, cum audiret pestem in itinere grassari: *Eundum*, ait, *nec prætermittenda tam bona tempestas; pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum ullum nunquam attingit*. Idem stans in acie intra vallum, monitus ut se reciperet ab hostium crebra jaculatione, respondit: *Canes qui latrant, non sunt extimescendi. Neque est, quod timeatis, cum præsidio Dei satis vallati simus*. Refert Franc. Robertellus, in orat. Puneb. habita Bononiæ. Ludovicus Bavarus ab Alberto marchione Brandeburgico captus, et multa cum minis postulatus, heroice respondit: « Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modo ex capto petito. Si amplius quid velis, corpus meum in tua potestate est: animum vero mihi, non tibi obnoxium invenies, An. Silvius, l. III. comment. de gest. Alphon.

VI. Cordis etiam duritiæ sæpe laboramus, qua

nec Deum, prout par est, debita reverentia colimus, nec proximum ut fratrem diligimus, et in necessitatibus juvamus. Excitat igitur nos Spiritus sanctus dono pietatis ad religionem et amorem cultus divini, necnon ad curam proximi emolliens cor nostrum, ut Dei voluntati ac cultui se submittat, et ad proximum inclinet. Docemur hoc ab alauda, quæ, ut referunt aliqui, septies in die canit, atque ita septem horarias, clericorum preces suo modo et modulo imitatur: inter canendum etiam recta sursum ascendit volando, cantans aspirando et respirando: ideoque jure merito a laude nomen sortita est. Itaque justorum est impulsu Spiritus sancti quotidie stans horis Deo laudes dicere, aliisque pietatis operibus debitum exhibere cultum, ac, quemadmodum suadet apostolus, sine intermissione orare, quod fiet si in Dei gloriam omnes suas actiones retulerint; ita enim non oblique, sed recta assurgent in Deum, si non ad fluxum et creatum finem, sed ad Deum omnia sua direxerint. Cantabunt spirando et respirando, quando erga proximum tam dando quam accipiendo bene se habuerint. Et quemadmodum alaudæ non semper in sublimi aere, sed quandoque etiam in terra morantur: ita jubet Spiritus sanctus cum Deo quidem imprimis conversari, sed quandoque etiam, devolare ad sublevandas proximi necessitates. Hujusmodi alauda fuit S. Franciscus, qui ideireo non immerito aviculas appellabat suas sorores. Hic, ut scribit S. Bonaventura, in ejus vita, cap. VIII. animas peccatorum deplorabat, quod sanguine Christi essent redemptæ, aiebat sociis: *Dum pauperem vides, o frater, speculum tibi proponitur Christi*. Ipseque in pauperibus omnibus Christi effigiem contemplabatur. Animalcula quælibet ex pietate fratres et sorores appellans, ea viscerosius amplexabatur, quæ Christi mansuetudinem referunt. Redemit interdum agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis, sui agniculum, in quo Christum infantem recognoscebat, necanti crudeliter maledixit, et mortua est; nomen Jesu cum exprimeret, vel audiret, júbilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum. Quin et Caroli M. imperator pietas hoc loco minime prætereunda est. Hic enim ut scribit Naucerus, vol. II. chronol. Gen. XXVIII. anno Domini 811. christianam religionem, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime excoluit; ecclesiam mane et vesperi, item nocturnis horis, et sacrificii tempore, quoad valetudo corporis permisit, impigre frequentabat, conabaturque magnopere,

ut omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate: ædituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum inferri, vel in ecclesia remanere permitterent: sacrorum vasorum ex auro et argento, vestimentorumque sacerdotalium tantam comparavit copiam, ut nemo in ministerio habitum privatum habere permitteretur: legendi atque psallendi disciplinam emendavit diligentissime, erat enim in utroque peritus, quamquam ipse nec publice legeret, nec nisi submisso et in communi cantaret.

VII. Laboramus denique non raro elatione et præsumptione, ambitione, vanitate: contra quas armat nos Spiritus sanctus dono timoris, immitens in cor varia argumenta, quæ superbiam et vanitatem nostram retundant, ac timere Dei judicia faciunt. Magistram hujus disciplinæ habemus coturnicem, quæ summo per timet accipitrem, eoque conspecto et in aere circumvolante a terra surgere non audet, sed in ea quantum potest se quietissime continet ac deprimit. Depinxerunt veteres Deum capite accipitris, teste Pierio, CXXI. ob oculorum aciem acutissimam, quæ Dei omnia videntis typus foret. Monet ergo Spiritus sanctus ut Deum speculatorem, adstantem desuper, qui nos diebus omnibus actusque nostros prospicit a luce prima in vesperum, semper ob oculos habeamus ac timeamus: proinde nos in terra et humilitate semper contineamus, ac ne minimum quidem motum alicujus vanitatis aut inobediendiæ edamus. De Antheo gigante, Neptuni et terræ filio, fabulati sunt poetæ, quod terræ contactu roboraretur, quoties viribus delassatus esset. Unde cum eo luctans Hercules, cum in terram eum dejiceret, novis contra eum viribus insurgebat Antheus; itaque cum alia ratione vincere non posset, in sublimi elatum suffocavit. Refert Gregorius Nyss. de Christo triumphante. Terræ filii nos sumus; qui si in terra, e qua nati, et in quam resolvendi sumus, per humilitatem et timorem nos contineamus, vincere nos non poterit Stygius ille Hercules; at si per elationem animi, præsumptionem, ambitionem evexerit in altum, actum erit de nobis. Unde apostolus ad Rom. XI. ait: *Noli altum sapere, sed time*. D. Anselmi vox est: *Optimus virtutum et beneficiorum custos est timor*. Ad hunc ergo Spiritus sanctus excitat clientes suos: inspirat illis ut peccandi occasiones fugiant, nuptias, choreas, convivia, ludos non frequentent, domi se contineant, sensus suos obserent, ne hostem intromittant. Sed: *Quomodo comparabitur iste timor?* inquit D. Chrysostomus, in II. ad Philip. « Si cogitaverimus Deum ubique præsentem esse, audire omnia, omnia videre, etiam quæ in corde sunt, et in profundo animi.